



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

proprie scientifica, est perfectio nullam in suo conceptu formali includens imperfectionem: Ergo in Deo reperitur formaliter.

Nec valet, si dicas, talem cognitionem importare imperfectionem discursus, seu quod cognitio conclusionis circa quam scientia versatur, ex cognitione principiorum causetur, quod Deo repugnat. Non valet, inquam: Tum quia in Angelis reperitur strictè scientia, & tamen, iuxta communiorum Theologorum sententiam, in ipsis non est propriè discursus: Ergo imperfectio discursus, non est de ratione scientiæ strictè & propriè sumpta. Tum etiam, quia licet daremus de ratione scientiæ ut sic esse aliqualem discursum, non est cur non sufficiat formalis aut virtualis: Sed Deo non repugnat discursus virtualis, sicut enim non repugnat perfectionibus divinis, ut una virtualiter ab alia causetur, ut patet in attributis, quæ virtualiter ab essentia dimanant, ita non repugnat quod una cognitio in Deo, ab alia virtualiter causetur, in quo consistit virtualis discursus: Ergo &c.

7. Confirmatur: Ad rationem scientiæ strictè sumptæ, non requiritur major ex parte cognitionum causalitas, quam ad rationem scibilis in objecto, inter essentiam & proprietates: Sed ad rationem scibilis strictè sufficit virtualis objectiva causalitas, ut constat in objecto Theologiæ & Metaphysicæ; Deus enim, qui est objectum Theologiæ, est solum causa virtualis suorum attributorum, & ens est solum causa virtualis & ratio à priori proprietatem quas de ipso Metaphysica demonstrat: Ergo ad rationem strictè scientiæ, sufficit virtualis ex parte cognitionum causalitas, subindeque virtualis discursus.

8. Dico secundo: In Deo esse scientiam strictam & propriam, respectu creaturarum.

Probatur breviter: Scientia propriè & strictè sumpta, est cognitio rei per causam: Sed Deus perfectissimè cognoscit omnes effectus creatos per suas causas, licet causas & effectus per simplicem intuitum, & absque discursu attingat: Ergo habet perfectissimam omnium rerum creaturarum scientiam.

Confirmatur: Cum essentia divina sit causa creaturarum, & Deus perfectissimè penetret & comprehendat illam, non potest non in ea, ut in causa penetrata & comprehensa, cognoscere omnes effectus creatos, subindeque propriam & perfectam de illis habere scientiam.

9. Dico tertio: Deus habet scientiam strictam suorum attributorum. Ita communiter docent Theologi, excepto Durando, & Ferrariensi, qui ut refert Gonzales hic disp. 34. num. 4. licet admittant in Deo scientiam propriè & strictè sumptam, negant tamen illam respectu divinorum attributorum.

10. Probatur tamen conclusio destruendo præcipuum illorum fundamentum. Si ob aliquam rationem in Deo non esset scientia suorum attributorum, maxime quia de ratione scientiæ est procedere per causam, attributa autem divina, cum sint entia per essentiam & à se, causam in essendo non habent: Sed hæc ratio nulla est: Ergo datur in Deo scientia suorum attributorum. Major continet præcipuum Adversariorum fundamentum, Minor autem probatur. Ad rationem scientiæ sufficit procedere per causam virtualem in essendo: Sed licet attributa divina, ex eo quod sint entia à se, causam realiter causantem excludant, habent tamen causam virtualem: Ergo ob

A rationem illam, malè negatur in Deo scientia suorum attributorum. Major constat, tum in Metaphysica, quæ propriè scientia est; & tamen veritas, bonitas, & aliæ proprietates quas demonstrat de ente, non habent causam formaliter influentem, sed solummodo virtualiter: tum etiam in nostra Theologia, quæ propriè & strictè obtinet rationem scientiæ, ut in disputatione præcedenti ad universam Theologiam ostendimus; & tamen non procedit per causam quæ realiter influat, sed tantum per causam virtualem, cum attributa divina quæ Theologia demonstrat de Deo, causam realiter influentem non habeant. Minor verò probatur: Unum esse causam virtualem alterius, nihil est aliud quam taliter inter se comparari, quod si realis intercederet distinctio, realis etiam influxus & causatio reperiretur: Sed attributa divina taliter cum natura Dei, & inter se comparantur, quod si adesset realis distinctio, omnia ab essentia realiter causarentur, & etiam unum ab alio; si namque voluntas realiter differret ab intellectu divino, realiter causaretur ab illo; immutabilitas etiam esset realis causa aternitatis, si realiter ab illa differret: Ergo inter divina attributa, comparata cum essentia, & inter se, virtualis causalitas intercedit.

Confirmatur: Ad causam virtualem, & virtualem effectum, sufficit virtualis distinctio: Sed attributa divina inter se & ab essentia virtualiter distinguuntur, ut in Tractatu de attributis contra Nominales ostendimus: Ergo habent causam virtualem. Addo quod, si attributa Dei non haberent causam virtualem, seu rationem à priori, Theologia illa demonstrans de Deo, non posset habere rationem scientiæ, quod est contra communem Theologorum sententiam.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

Obijcies primò cum Vazquez contra primam conclusionem: De ratione strictè scientiæ est discursus: Sed ille divina cognitioni repugnat: Ergo & ratio scientiæ strictæ.

Huic argumento patet solutio ex supra dictis. In primis enim respondeo, negando Majorem: nam discursus non pertinet essentialiter ad rationem scientiæ, sed est imperfectio ejus; unde licet ille divina cognitioni repugnet, non sequitur in ipso non dari strictam scientiam. Solutio est D. Thomæ quæst. 2. de verit. art. 1. ad 4. ubi sic discurret: *Illud quod in Deo est absque omni imperfectione, in creaturis cum aliquo defectu invenitur: propter hoc oportet, ut si aliquid in creaturis inventum Deo attribuitur; separemus totum quod ad perfectionem pertinet, ut solum maneat hoc quod perfectionis est; quia secundum hoc tantum creatura Deum imitatur.* Dico igitur, quod scientia que in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis: ad perfectionem enim pertinet certitudo ipsius, quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur; sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus à principis ad conclusiones, quarum est scientia; hic enim discursus non contingit, nisi secundum quod intellectus cognoscens principia, cognoscit in potentia tantum conclusiones; si enim actu cognosceret, non esset ibi discursus, cum motus non sit nisi exitus de potentia ad actum. Dicitur ergo in Deo scientia: ratione certitudinis de rebus cognitis, non autem ratione discursus prædicti, qui nec etiam in Angelis invenitur, ut Dionysius dicit.

Secundò responderi potest, distinguendo Majorem, illamque concedendo de discursu formali, vel virtuali; negando autem de discursu determinatè formali; virtualis enim discursus sufficit ad rationem scientiæ, ut supra ostendimus: licet autem Deo repugnet formalis discursus, non tamen virtualis, ut etiam ex supra dictis patet.

13. Objicies secundò: Ad rationem strictæ scientiæ requiritur ut minùs notum, per aliquid notius cognoscatur; illa enim à notioribus procedere debet, ut Aristoteles in libris Posteriorum docet: Sed in Deo non potest esse aliquid magis vel minùs notum, cum omnia perfectissimè cognoscat & comprehendat: Ergo in ipso propria ac stricta scientia reperiri nequit.

Respondeo distinguendo Majorem: Ad rationem strictæ scientiæ requiritur, ut minùs notum cognoscatur per aliquid notius, ex parte rei cognitæ, concedo Majorem: ex parte cognoscentis, nego Majorem. Ad Minorem similiter dicendum est, quòd licet in Deo non possit dari aliquid notius ex parte cognoscentis, bene tamen ex parte rei cognitæ, quatenus unum est ratio cognoscendi aliud; & in hoc sensu essentia divina potest dici notior attributis, quia est ratio à priori per quam cognoscuntur. Unde D. Thomas loco supra citato in solut. ad 5. sic habet: *Dicendum quod quamvis in Deo non sit aliquid magis vel minùs notum, si consideretur modus cognoscentis, quia eodem intuitu omnia videt: tamen si consideretur modus rei cognitæ, Deus cognoscit quædam esse magis cognoscibilia in seipsis, & quædam minùs; sicut inter omnia maximè est cognoscibilis sua essentia, per quam quidem omnia cognoscit, non aliquo discursu, cum simul videndo essentiam suam, omnia videat; unde & quantum ad istum ordinem qui potest attendi in divina cognitione ex parte cognitorum, etiam salvatur in Deo ratio scientiæ, ipse enim præcipue omnia per causam cognoscit.*

4. Objicies tertio: Cognitio Dei per se primò terminatur ad suam essentiam, & in illa sic cognita attingit attributa & creaturas: Ergo non habet strictè & propriè rationem scientiæ. Antecedens communiter docetur à Thomistis, & patet ex dictis supra in Tractatu de attributis, & in Tractatu de visione Dei, magisque constabit ex infra dicendis. Consequentia verò probatur: In hoc differt scientia à noticia luminis principiorum, quæ dicitur *intelligentia*, quòd illa per se primò versatur circa conclusiones, ista verò per se primò tendit ad principia, & causas conclusionum: Ergo si omnis cognitio Dei, per se primò versatur circa ejus essentiam, quæ habet rationem principij & causæ, aut quasi causæ suorum attributorum & creaturarum, consequens erit ut omnis cognitio divina sit cognitio principiorum, nulla verò scientiæ, si de scientia propriè & strictè loquamur.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam, ad cujus probationem dicendum, quòd licet scientia cui tantum convenit ratio scientiæ, non possit competere ut per se primò versetur tam circa principia, quam circa conclusiones; secus tamen scientiæ, quæ simul est scientia & sapientia; cum ista eminenter formaliter contineat quicquid pertinet ad rationem scientiæ, quæ tantum est scientia; & quicquid spectat ad habitum primorum principiorum, si-ve ad intelligentiam: unde cum scientia Dei, ut-

A pote perfectissima, eminenter formaliter rationem scientiæ & sapientiæ habeat, non mirum quòd per se primò ad essentiam divinam, ut est principium & veluti causa suorum attributorum & creaturarum terminetur. Sapientia enim non distinguitur ab intelligentia, seu habitu principiorum, in hoc quòd sapientia nullo modo versetur circa principia, sed in eo quòd intelligentia illa considerat secundum se & absolute; sapientia verò illa attingit, non absolute, sed ut sunt rationes assentiendi conclusionibus, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 2.

B Objicies quartò contra secundam conclusionem: Ad rationem propriæ & strictæ scientiæ, requiritur quòd effectus cognoscatur in causa propria & particulari, nec sufficit quòd cognoscatur in causa communi & universali: Sed Deus est causa solum communi & universalis respectu creaturarum: Ergo licet eas in seipso tanquam in causa cognoscat, non habet tamen de illis propriam & strictam scientiam.

16. Respondeo ad rationem scientiæ non sufficere quòd effectus cognoscatur in causa communi & universali, quando illa attingit & causat suos effectus, solum secundum rationem communem & genericam; secus verò si illos attingat & causet secundum rationem specificam & individua-lem: Deus autem ita est causa universalis omnium rerum, ut ejus causalitas, usque ad atomas illarum differentias pertingat; quia causat omnia sub ratione univertalissima entis, quæ in omnibus differentiis transcendentaliter imbibitur.

C Objicies quinto contra tertiam conclusionem: Deus non cognoscit suam essentiam, ut est causa virtualis suorum attributorum: Ergo non habet strictam & propriam de illis scientiam. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur. Essentia divina non potest cognosci, ut causa virtualis attributorum, nisi cognoscatur, ut ab illis virtualiter distincta: Sed essentia divina non potest cognosci à Deo, ut virtualiter distincta ab attributis: Ergo ut causa virtualis illerum cognosci nequit. Major constat, sicut enim causa realis importat distinctionem realem à suo effectu, ita & causa virtualis distinctionem virtualem. Minor verò probatur: Intellectus divinus non potest formare entia rationis, ut magis communiter docent nostri Thomistæ in Philosophia: Sed si essentia divina cognosceretur à Deo, ut virtualiter distincta ab attributis, intellectus divinus formaret entia rationis; cognosceret enim essentiam divinam aliter ac est in se, cum talis distinctio de facto non reperitur in Deo, sed illi assignatur ab intellectu humano: Ergo essentia divina non potest cognosci à Deo, ut virtualiter distincta ab attributis.

E Ratione hujus argumenti, quidam etiam ex Schola D. Thomæ, probabiliter existimant, intellectum divinum formare aliqua entia rationis, quæ fundantur, non in imperfecto modo cognoscendi objecta; sed in perfectione, & eminentia rei cognitæ; & ad illud genus dicunt reduci distinctionem virtualem, quæ in Deo concipitur: illa enim fundatur in eminentia divinæ naturæ, quæ ratione suæ infinitatis præstare potest illud omne quòd præstant in rebus creatis perfectiones realiter distinctæ.

18. Melius tamen responderetur, quòd quamvis Deus cognoscat eminentiam suæ naturæ, & prioritatem virtualem, quæ reperitur inter ejus essentiam, & attributa, non tamen propterea for-

mat entia rationis ; quia non cognoscit talem eminentiam , & prioritatem , ut fundantem distinctionem rationis , per ordinem ad suum intellectum , sed tantum per ordinem ad intellectum humanum ; sicut non facit entia rationis , quando cognoscit essentiam hominis præbere intellectui humano fundamentum , ut concipiat , & distinguat in illa genus & differentiam . Quod ut clarè percipiatur .

19. Advertendum est , in distinctione virtuali quam agnoscunt Theologi in Deo , duo importari : unum de materiali , eminentiam scilicet divinæ naturæ , quæ præbet intellectui humano fundamentum illam concipiendi ut distinctam ab attributis ; aliud de formali , nimirum distinctionem rationis , quam intellectus humanus apprehendit , & concipit in divina natura . Primum cognoscitur à Deo immediatè , & sine habitudine ad intellectum humanum ; secundum verò solum mediatè , & per ordinem ad intellectum creatum : ex quo provenit , quòd Deus , cognoscendo talem distinctionem rationis , non facit ens rationis : quia ad formationem entis rationis requiritur , ut illud cognoscatur immediatè : nec sufficit quòd cognoscatur mediatè , & ut cognitum , vel factum , aut factibile ab alio intellectu .

ARTICULUS II.

Utrum scientia Dei sit attributum illius?

Hanc difficultatem movemus , tum ut magis divinæ scientiæ quidditatem declaremus , tum etiam , ut difficile argumentum quod contra communem sententiam fieri solet , diluamus .

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

20. Dico igitur : Scientiam Dei esse attributum illius . Ita colligitur ex D. Thoma in præmio hujus quæstionis , ubi ait : *Post considerationem eorum quæ ad divinam substantiam pertinent , restat considerandum de his quæ pertinent ad operationem ipsius , & inter ea connumerat scientiam ; atque adeo sentit , scientiam non spectare ad divinam substantiam , seu essentiam ; sed esse quid consequens ad illam , per modum quasi proprietatis , & inter attributa ad operationem pertinentia collocari . Idem docet Damascenus libro 1 , de fide cap. 4 . his verbis : Sive bonum , sive iustum , sive sapientem , sive quicumque tandem aliud dicere libeat , non Dei naturam , sed quæ natura insunt exponis .*

21. Ratio etiam suffragatur , Attributum enim hoc modo definitur à Theologis ; *Attributum est ratio quædam absoluta , necessariò . & formaliter existens in Deo , & virtualiter ad ejus essentiam consequens* : Atqui scientia Dei habet has omnes conditiones : Ergo est attributum . Major declaratur : Attributum dicitur esse *ratio absoluta* , ut excludantur divinæ relationes , quæ non sunt attributa . Dicitur *necessariò & formaliter existens in Deo* , ut per ly *necessariò* , excludantur actus liberi , qui sunt in Deo formaliter ; & per ly *formaliter* , excludantur perfectiones secundum quid creaturarum , quæ non sunt in Deo formaliter , sed tantum eminenter . Denique additur , *ad essentiam Dei virtualiter consequens* , quia attributa sunt veluti proprietates divinæ essentiæ , quæ illam veluti trahunt ad aliam lineam , & ad

A illam consequuntur , saltem per rationem , cum fundamento in re , tanquam ad causam virtua- lem , seu rationem à priori ; eò ferè modò , quòd unitas , veritas , & bonitas , consequuntur rationem entis . Minor etiam probatur , quantum ad singulas partes . Et in primis quòd scientia divina sit aliquid absolutum , evidens est , cum sit communis tribus personis sanctissimæ Trinitatis . Secundo , quòd sit formaliter , & necessariò in Deo existens , liquet ex dictis articulo præcedenti : omnis enim perfectio simpliciter simplex , necessariò , & formaliter in Deo existit . Tertio , quòd sit virtualiter consequens ad divinam naturam , & illam veluti trahens ad aliam lineam , probatur . Intelligere constitutum divinæ naturæ respicit essentiam divinam , ut est in se intelligibilis absolutè : scientia verò , ut est intelligibilis determinatò modò , quatenus scilicet habet rationem causæ : prudentia verò illam respicit , ut est suprema regula omnium agibilium , id est omnium actuum divinorum : ars verò eandem respicit , ut est ratio omnium factibilium ad extra : Ergo &c .

§. II.

Solvitur difficile argumentum.

C Contra hanc conclusionem objicitur difficile argumentum , quod sub hac forma breviter proponi potest . Intelligere constitutum naturæ divinæ , formaliter quæ tale , est scientificum : Ergo scientia in Deo , non est attributum , virtualiter ab ejus essentia distinctum . Consequentia patet , Antecedens probatur . Illud intelligere est scientificum , quod attingit essentiam divinam , ut habet rationem causæ respectu creaturarum , vel ut est ratio à priori divinorum attributorum : Sed intelligere constitutum , attingit essentiam divinam , ut habet rationem causæ , &c . Ergo formaliter quæ tale , est scientificum , Major constat , Minor probatur . Intelligere infinitum , & comprehensivum debet attingere essentiam divinam omnibus modis quibus est cognoscibilis : Sed intelligere constitutum , est infinitum , & comprehensivum : Ergo debet attingere essentiam divinam omnibus modis quibus est cognoscibilis ; ac proinde , ut est causa creaturarum , & ratio à priori attributorum . Minor est certa , Major verò probatur . Ad rationem comprehensionis requiritur , quòd tota cognoscibilitas objecti exhauriatur , & quòd illud attingatur sub quacumque ratione , & modo quò est cognoscibile : Ergo intelligere infinitum & comprehensivum , debet cognoscere essentiam divinam omnibus modis quibus cognoscibilis est .

E Respondent aliqui , Quòd licet intelligere constitutum naturæ in Deo sit infinitum , & comprehensivum ; non tamen propterea attingit essentiam divinam , quatenus formaliter habet rationem causæ ; quia non est infinitum absolutè , & omnibus modis , sive secundum omnes lineas , etiam attributales , sed solum intra propriam lineam naturæ : unde sicut natura divina , quamvis infinita , quæ talis tamen formaliter , non includit in suo conceptu quidditativo relationes , & attributa , sed radicaliter tantum , ut plures existant ; ita & intelligere constitutum , quamvis infinitum , & comprehensivum , non includit tamen formaliter omnes particulares modos intelligibilitatis , quibus natura divina est cognoscibilis , & qui pertinent ad attributa ; qualis est intelligibilitas per modum causæ , vel ut est ratio agibilium ,